

IN LOCO

DE LEGE CEREMONIALI.
THEOREMATA.

1. Ex Ceremonialis est ordinatio externa, à Deo per Mosen populo Judaico tradita de sacrificiis, totoq; cultu Judaico, qvo Iudei nō solum ab aliis gentibus distincti, sed & Christus cū beneficiis suis est adumbratus, & sinceris cultoribus per fidem verè applicatus.

2. Ceremonias Livius l. 5. dictas vult ab oppido Thusciz, Cerere, idq; qvia Roma à Gallis direpta, Cives eò sacra detulerint. Macrobius l. 2. *Saturnal.* c. 3. Gellius, l. 4. c. 9. *August.* l. 1. *Retract:* c. 37. à carendo nomen habere volunt, quasi carimonias, propterea, qvod quædam ceremoniæ sunt de rerum creatarum carentia, seu abstinentia, quales fuerunt res sive divino mandato prohibitæ, sive dispensatæ, qvibus Judæis vesci licitum non erat *Levit.* 12. Alii à caritate derivant, qvod sunt res maximè caræ, gratæ & hominibus acceptæ, ut Festus scribit. Verissima autem videtur Scaligeri sententia, qvi Ceremoniam derivat ab antiqua voce Cerus, quæ idem qvod Sanctus olim significabat; ut igitur à Sanctus est Sanctimonia, ita à Cerus est ceremonia, sunt enim Ceremoniæ ritus & gestus externi circa res sacras, sive devotum cultus divini exercitium occupati.

3. Leges Ceremoniales sunt vel publicæ, vel privatæ.

4. Publicæ respiciunt vel personas, vel res, vel locum vel tempus.

5. Personæ publicæ, sunt *Summus Sacerdos*, de cuius consecratione, vestibus, & officiis præcipitur *Levit.* 8. & 24. & 16. & 21. *Exod.* 28. *Sacerdotes secundi ordinis* de quorum vestibus, inauguratione, debitibus, agitur *Levit.* 8. & 4. & 14. & 20. & 21. *Mal.* 1, 7. *Num.* 6. *Levitæ*, de quibus *Levit.* 8. *Deut.* 27. *Nazaræi*, *Num.* 6.

6. Res sunt vel Sacraenta vel Sacrificia.

7. Sacrificia sunt holocaustum, *Levit* 1 & 6. & 7. *Oblatio pro peccatis ignorantiae* *Levit.* 4. *Sacrificium pro delicto*, *Levit* 6. & 7. *Consecrationis* *Levit* 6 & 8. *Mundationis* *Levit.* 12. & 14. & 15. *Num.* 19. *Expiationis*, *Levit.* 16. *Cibarium*, *Levit.* 21. *Pacificum*, *Levit.* 7. *Oblatio primitiarum*, *Num.* 18. *Deut.* 26. *Levit.* 23. *Decimarum* *Levit.* 27. *Num.* 18. *Vascarufæ*, *Levit.* 19. *Sacrificium juge* *Num.* 28.

S 2

8. Sacra-